POSITIONES MEDICÆ
DE
SINGULTU,
Quas
SUB PRÆSIDIO
Viri Clariſſimi, Excellentiſſimi ac Experientiſſimi,

DN. DANIELIS SENNERTI, PHILOS. ET MEDICINÆ DOCTORIS, FACULTATISq; MEDICÆ P.P. AC SENIORIS,

In Academiâ Wittebergenſi publico Medicorum Auditorio examinandas proponit

MARTINUS MAYR,
Weidenbacenſis Francus.

Ad diem 3. Decemb. horis matutinis.

WITTEBERGÆ,
Ex officina typographica CHRISTIANI THAM, Acad. Typogr.

ANNO M DC XXIV.

POSITIO PRIMA.

E'νέργειαι τῆς δυνάμεως Φυσικῆς, actiones facultatis naturalis omnes, vel ad ſpeciei vel ad individui conſervationem ſpectant. Ad ſpeciei conſervationem ſpectat generatio; ad individui conſervationem nutritio & auctio. Hiſce verò tribus facultatibus primis ac principibus, aliæ ſecundæ ac miniſtræ facultates, nimirùm attractrix, retentrix, concoctrix & expultrix, inſerviunt.

II.

At hæ facultates naturales, tàm principes, quàm miniſtræ, ac principibus inſervientes, variè læduntur, & vel abolentur, vel imminuuntur, vel depravantur, pro diverſitate cauſarum, hiſce facultatibus vim inferentium.

III.

Ad unam harum facultatum, expultricem nempè, pertinet ſymptoma illud, quod Græci λυγμὸν, Latini Singultum, nominant.

IV.

Adfectio hæc à Galeno σπασμώδης τις διάθεσις, convulſiva quædam diſpoſitio; Et lib. 1. de ſymptom: cauſ. cap. 2. οἷον σπασμὸς, quaſi-ſpaſmus, eſt; propterea, quod vera convulſio ſolis muſculis conveniat.

V.

Et reverâ, ſi naturam hujus ſymptomatis indagemus, remq; æquâ, quod ajunt, lance ponderemus, deprehendemus, quòd in ſingultu convulſioni quid ſimile accidat, & ſingultus convulſio quædam dici poſsit; non quòd in muſculoſo genere contingat, muſculoſumq; genus ſubjectum hujus affectionis ſit, ſed quòd in cauſis hic motus depravatus ventriculi cum ſpaſmo muſculorum conveniat; de quibus plura in cauſis.

VI.

Felix Platerus hoc malum ad depravatam reſpirationem refert. Verùm rectius ij ſentire videntur, qui ſymptoma hoc motum pravum contractionis ac dilatationis ventriculi eſſe ſtatuunt, quô id, quod ſibi moleſtum, excutere ſudat; Licet enim in ſingultu ſtrepitus quidam audiatur, & vocis organa in conſenſum trahantur; tamen id ex accidenti fit, concurrente nimirùm facultate animali, & naturali ſuppetias ferente.

VII.

Definitur ſingultus, quòd ſit motus depravatus contractionis ac dilatationis ventriculi, ab expultrice, à re noxiâ ſtimulatâ, ac ad expulſionem incitatâ, proveniens.

VIII.

Affectionis hujus forma in definitione poſita eſt, motus nimirùm pravus, duobus motibus contrariis, dilatatione ac conſtrictione, conſtans. Nam ut ventriculus id quod moleſtum excutere queat, primùm ſe tunicasq; dilatat; poſteà verò, veluti collectis viribus, ſe conſtringit, corporisq; ſui compreſſione aliquid è tunicis elidit.

IX.

De ſubjecto hujus adfectionis variæ ſunt opiniones; & quæ pars ventriculi ſit ſedes hujus ſymptomatis, diſquiritur: Alii enim totum ventriculum affici, alii tantùm ϛώμα, ſeu orificium ejus.

X.

Verùm enimverò diſtinctione hîc opus eſſe reor. Nam eſſentiam ſingultus quod attinet, ejus ſubjectum & ſedes eſt orificium ventriculi, ob nervos grandiores ſextæ conjugationis nervorum cerebri, exquiſitiſſimo ſenſu præditum; Hanc ob cauſam citiſſimè noxia percipit, & ad eorum expulſionem excitatur. Si verò cauſam hujus ſymptomatis conſideramus, totus ventriculus ejus ſedes eſt. Siquidem cauſa hujus adfectionis, modò in ore ventriculi, modò in ipſius corpore continetur. Clariſs. Dn. Præſ. in prælect. Cap. de Singultu.

XI.

Cauſa efficiens hujus ſymptomatis eſt facultas expultrix, à re noxiâ & moleſtâ irritata; Licet non inficias eamus etiam facultatem retentricem ſecundariò & per accidens lædi.

XII.

Cauſam autem ob quam facultas motum hunc pravum inſtituit, quod attinet, alii cum Hipp: 6. aph. 39. illam eſſe repletionem & inanitionem; alii vellicationem â re acri ac moleſtâ factam, ſtatuunt; Verùm ſi rem rectius, ponderemus, hanc ultimam cauſam veram, proximam ac immediatam eſſe deprehendemus.

XIII.

Nam quòd ab inanitione hoc malum ſuam originem non trahat, inde patet: I. quia κίνησις σπασμώδης fit à facultate expultrice, irritatâ â re moleſtâ, & non ab inanitione aut ſiccitate. II. Quia vix tanta datur in corpore aliquo ſiccitas, ut nervi inſtar chordarum contrahantur, ac corrugentur. III. Cum nec in febribus ardentibus, nec in hecticis, in quibus maxima eſt exſiccatio, tale quid fieri animadvertimus. IV. Neq; veritati conſentaneum eſſe reor, aliquem ſucculentiſſimo corporis habitu præditum tàm brevi temporis ſpatio epoto helleboro, vel alio medicamento vehementiore, in Singultum incidere. V. Quia quod citò fit, & citò deſinit, non eſt ex inanitione.

XIV.

Neq; etiam â repletione malum hoc oriri poteſt, cum humores, etiamſi copioſius ad ventriculum fluant, hoc ſymptoma non efficiunt, quatenus copiâ peccant, ſed quatenus qualitate aliquâ acri ac ventriculo infeſtâ, præditi ſunt, irritationem ac vellicationem in eo excitant. II. Si motus hic pravus ſolùm â materiâ copioſâ originem traheret, ſolùm materia morbifica, & non facultas expultrix, eſſet cauſa hujus adfectionis.

XV.

Proxima itaq; & immediata cauſa, ob quam natura hunc

motum pravum excitat, eſt materia, ventriculum, & præcipuè ejus orificium, exquiſitiſſimo ſenſu præditum irritans ac vellicans, ſive id fiat caliditate, ſive frigiditate, ſive acrimoniâ, ſive pravâ aliquâ qualitate; nervoſo generi inimicâ.

XVI.

Remota verò cauſa eſt vel interna vel externa. Externa eſt cibus & potus, & medicamenta caliditate aut frigiditate, vel etiam acrimoniâ, ventriculo moleſta.

XVII.

Frigiditas aut μέσως mediatè, aut ἀμέσως immediate eſt cauſa hujus affectionis; Mediatè quando vi frigiditatis alimenti portio excrementitia quæ debet difflari, detinetur. Nam frigiditas corpora, & potiſſimùm nervoſa, ad difflandum difficilia reddit. Capiv: cap: de Singult.

XVIII.

Ἀμέσως autem concurrit, ut eſt frigiditas, cum vel ſine materiâ.

XIX.

Calor quoq; μέσως mediatè, & ἀμέσως immediatè concurrit ad productiorem hujus adfectionis; μέσως, quando vapores â calore producuntur, qui diſſolvi non poſſunt. Capiv: Loco citat:

XX.

Ἀμέσως concurrit vel cum vel ſine materiâ.

XXI.

Interna cauſa modò eſt qualitas, modò materia.

XXII.

Materia iterum aut eſt vapor, aut minera. Minera aut eſt vitæ particeps, ut vermis; vel expers, ut humores.

XXIII.

Quantum ad qualitatem, quæ eſt ſpiritualis, Singultus in tetanis, animi deliquiis, altiore ſopore, capitis vulneribus, oritur; In tetanis, quia qualitas ſpiritualis ventriculo impertitur â nervis, non vapor aut materia aliqua; In animi deliquio â corde, in ſopore profundiore â cerebro. Capiv: cap: de Singultu.

XXIV. Ad

XXIV.

Ad materiam, quæ eſt vapor, toto genere præter naturam; Uti ſunt vapores prodeuntes à vermibus, à fecibus, ut in volvulo exitiali, vapor putridus, prodiens à materiâ putreſcente in ſentinâ corporis contentâ; Unde mirum non eſt in febribus putridis ac peſtilentialibus interdum fieri ſingultum, Vapor etiam prodiens ab ulcere ventriculi, flatus in inteſtinis contenti.

XXV.

Humores adfectionem hanc excitantes ſunt bilioſi, pituitoſi, ac melancholici, putridi, corrupti ac acrimoniâ quâdam præditi; quò etiam referri poſſunt tumores & inflammationes viſcerum in abdomine contentorum, utpote epatis & lienis, quæ aut comprimendo, aut pravos, corruptos ac bilioſos humores eò mittendo, hanc adfectionem excitant.

XXVI.

Differentiæ hujus adfectionis petuntur à formâ, ſubjecto & causâ efficiente. Formæ ratione Singultus eſt motus magis vel minus vehemens. Ratione ſubjecti dicendum, ſingultum nunc pro ſubjecto habere orificium ventriculi, nunc corpus ipſius.

XXVII.

Ratione cauſæ efficientis variæ differentiæ poni poſſunt. Nam cauſa efficiens eſt vel interna vel externa; Interna eſt vel qualitas vel materia. Materia aut eſt vapor aut minera: hæc aut eſt vitæ particeps, aut vitæ expers.

XXVIII.

Singultus fit interdum per ἰδιοπάθειαν cauſa morbifica in ipſo ventriculo, ob coctiones ejus læſas generata; vel per συμπάθειαν, materia aliunde tramiſsâ.

XXIX.

Per ſigna cauſas Medicus cognoſcat neceſſe eſt, ad quæ deſcendemus; quæ dividuntur in διαγνωστικὰ ſeu δηλωτικὰ, demonſtra-

monſtrativa, quæ præſentem conſtitutionem demonſtrant; Et προγνωστικὰ quæ futura prænuntiant.

XXX.

Diagnoſtica viciſſim alia ſunt generalia, alia ſpecialia. Singultus in genere ſeipſum manifeſtat, per auditus objectum; Cum enim nulla ſit pars in toto ventre inferiore, quæ hujuſmodi ſonitum edere poſſit, ex ipſo ſymptomate, ſeu actione læsâ, veluti ſigno ſenſibili, elicitur pars affecta; Varand: cap: de Singultu.

XXXI.

Si os ventriculi potiſſimum afficiatur, & ſedes cauſæ, hanc adfectionem excitantis ſit orificium ventriculi, cognoſcitur ex morſu ac dolore ventriculi, angore ac lipothimiâ. Si verò ſedes cauſæ morbificæ ſit ipſe ventriculus, hæc ſigna abſunt.

XXXII.

Si eſt per eſſentiam hæc adfectio, Singultus magis eſt continuus, & ex ſpecie, ſapore, ructu humorum in ventriculo contentorum ſigna petuntur. Nam ex ructu nidoroſo, ſapore amaro, ſiti nimiâ, appetentiâ dejectâ, humores bilioſos, in ventriculo contineri colligitur. Idem de aliis eſto judicium.

XXXIII.

Si verò per συμπάθειαν & ob læſionem aliarum partium, hæc adfectio oriatur, cognoſcitur ex ſignis iſtarum adfectionum. Nam ſi hoc malum oriatur ab inflammatione epatis, adſunt ſigna inflammati epatis; utpote gravitas in dextro hypochondrio, febris ardens, decubitus moleſtus in latera, urina rubra.

XXXIV.

Signa, quæ cauſam hujus adfectionis detegunt, varia ſunt, pro varietate cauſarum internarum & externarum.

XXXV.

Cauſam externam patefaciet æger cum aſſidentibus; Nam ipſe æger ſignificabit, an cibum & potum pravis qualitatibus, aut

medica-

medicamenta acria, ut piper, allium, aut medicamenta vehementer purgantia, aſſumſerit.

XXXVI.

Cauſam internam, quæ duplex eſt, aut qualitas aut materia, quæ concernunt ſigna, varia ſunt: Si qualitas, cognoſcitur ex læſione aliarum partium, quæ ventriculum in conſenſum trahunt; ut ex animi deliquio, capitis vulneribus, & ſimilibus.

XXXVII.

Si verò vapor ſit cauſa ſingultus, adſunt ſigna, quæ deſignant aut vermes in corpore latitare, ut ſunt morſus & vellicatio in abdomine, dentium ſtridor, tuſſis exigua & ſicca, narium pruritus, & alia. Si verò vapor iſte ortum trahat â paſſione iliacâ, adſunt ſigna iſtius adfectionis, uti ſunt dolor in ventre ſe convolvens, murmura, ructus nihil juvantes, per inferiora nihil deſcendit, nauſea, vomitus, non ſolum cibi & potus; ſed & humorum & ſtercoris. Si verò vapor â materiâ aliquâ putridâ ac corruptâ in ſentinâ corporis contentâ, oriatur, adeſt febris putrida, maligna ac peſtilens.

XXXVIII.

Minera, quæ eſt cauſa hujus adfectionis, ſi ſit vitæ particeps, cognoſcitur iiſdem in præcedenti theſi poſitis ſignis.

XXXIX.

Minera vitæ expers, ut humores, etiam ſuis ſignis cognoſcitur; Ructus enim nidoroſus, amarus, cum nauſeâ ac appetitu dejecto, ſiti ingenti, bilioſos in ventriculo contineri humores, argumento eſt; Idem judicium ſit de aliis humoribus.

XL.

Culpâ vacabit Medicus, inquit venerandus ille ſenex, Hipp: lib. præſag. ſi quæ facta ſunt, antequam fierent, futura eſſe prædixerit; Ita etiam in curatione optimè moliemur præcognoſcendo futuras adfectiones.

XLI.

Singultus in genere nec bonus nec malus eſt; Aliquis enim

 tàm

tàm levis eſt, ut Medici operam non requirat, ſed vel ſponte, vel ſpiritus retentione, vel tenui diætâ, ceſſet; aliquis curatu facilis, alius vix, aut planè nullam admittit curationem.

XLII.

Quidam Singultus cum ſignis criſis eſt bonus, quidam malus. Bonus eſt, quando ſigna coctionis materiæ manifeſta adparent, ſic enim indicat, criſin vomitione futuram: Malus verò quando fit ſine ſignis coctionis, & nullâ factâ coctione ac elaboratione materiæ inorbificæ.

XLIII.

Formæ ratione Singultus eſt admodum periculoſus triplicem præ ſe ferens vehementiam, eſſentiæ, dignitatis ac facultatis. Eſſentiæ, quando ſumma adeſt contractio ac dilatatio; dignitatis, quando ſedes cauſæ morbificæ eſt os ventriculi; Facultatis, ſi imminet aut adeſt animi deliquium.

XLIV.

Aetius ait, Singultum â ſpirituali qualitate ortum lethalem eſſe, ac proinde in ſopore altiore, animi deliquio, & tetano præſagire, mortem non longè abeſſe.

XLV.

Singultus â vapore putrido aut vermibus, ut & humoribus mordacibus, curari poteſt; Quia vermes enecati convenientibus medicamentis deturbari, humores pravi ac corrupti evacuari poſſunt.

XLVI.

Singultus maximè periculoſus, qui fovetur ab inflammatione viſceris alicujus, quia cauſa efficiens, admodum eſt vehemens.

XLVII.

Singultus â copioſo ſanguinis fluxu aut ὑπερκαθάρσεως malum, Hipp: lib. 5. Aph. 4. & 5. & inprimis ſi ſenibus ſupra modum purgatis ſingultus adveniat, non eſt bonum; Idem Hipp: lib 7. aph. 42.

48. A vo-

XLVIII.

A vomitu Singultus ac oculorum rubor malum, Hipp: lib. 7. aph.3. Qui enim Singultus fit, humoribus totum nonnunquam ventriculum, ſæpius verò os ipſius infeſtantibus, ſi vomitione illi expellantur, ceſſat Singultus. Quod ſi humoribus illis rejectis Singultus duret, vel cerebrum vel ventriculum non parvam pati inflammationem denuntiat.

XLIX.

Ab Ileo Singultus malum, Hipp: lib.7. aph.10. Eſt & malus Singultus ab epatis inflammatione, 5. aph. 58. & 7. aph.17. Non verò ſemper ad inflammationem Singultus ſequitur, ſed ubi illa in maximam molem excrevit.

Indicationes.

L.

Tanti quidem eſt indicatio momenti, ut nullâ ratione quicquam boni Medicus in medicis operibus citra ipſam poſſit. Eſt namq; inſtrumentum, ex his, quæ aliquid agendum aut non agendum commonſtrant, in his affectibus, quorum naturam & cauſam exactè novimus.

LI.

Quemadmodum duo ſunt ſumma omnium genera, bonum & malum; Ita quoq; duæ primæ indicationes, Cuſtodia & ablatio, juxta mentem Gal: illa quidem boni, hæc verò mali, quarum utraq; quid agendum, indicat.

LII.

Sui cuſtodiam indicant naturalia omnia; ſui ablationem, quæcunq; ſunt præter naturam; ut morbus, cauſa morbi, & ſymptomata.

LIII.

Quod attinet formam ſive ſymptoma, cum ſit motus pravus, per ſe nihil indicat, niſi cauſæ rationem habeat; Sicuti una-

nimi conſenſu in omnibus Medicorum Scholis receptum eſt.

LIV.

Quò ad ſubjectum, ſicuti in quolibet ventriculi vitio calidum ejus innatum ſervare; Ita quoq; in hoc affectu oportet ventriculi rationem habere; Capiv: cap. de Singultu.

LV.

Quantum ad cauſam efficientem, quæ cum varia, ita quoq; diverſam curationem, quæ Chirurgiâ, Pharmaciâ & diætâ perficitur, requirit.

LVI.

Inter manuaria ac Chirurgica opera, quæ multiplicia, primò occurrit venæ ſectio, quod remedii, genus magnam requirit diligentiam; Ideoq; quinq; veniunt conſideranda. 1. quibus conveniat. 2. â quo loco. 3. quantùm. 4. quando, vel quo tempore. 5. quomodo.

LVII.

Circa primum, requiritur venæ ſectio, quando plethora adeſt, cùm ſanguinem non liceat mittere, niſi adſit plenitudo; ob id Avicennas in Singultu, cujus cauſa eſt inflammatio, venam ſecat; Nam inflammatio eſt malum ſanguineum.

LVIII.

Coindicans & hic obſervandum. Nam mittitur ſanguis, ſi vehemens ſit morbus ſanguinis, florens ægrotantis ætas, & virium robur; quoniam Singultus vehementiâ calidum innatum citò diſſolvitur.

LIX.

Locum oſtendit varia ſedis affectæ pars; Nam ſi â cerebri inflammatione aut vulneribus Singultus oriatur, Cephalica aperienda. In hepatis verò inflammatione Epatica aperienda.

LX.

Quantum detrahendum judicabit inflammationis vehementia, & virium robur.

LXI.

Quando morbus adhuc eſt in fieri; Quarè ſtatim ab initio,

ne major fiat ſanguinis affluxus, ad locum adfectum adhibenda venæ ſectio, ut fiat humorum evacuatio.

LXII.

Quomodo, reſpicit ſanguinis craſſitiem & tenuitatem, prout ita ſanguis, ita & foramen; Craſſus latam, tenuis anguſtam requirit plagam.

LXIII.

Ad ſanguinis miſſionem pertinet non tantùm evacuatio, ſed & revulſio ac derivatio, quæ diſtinguenda hoc modo: In quacunq; fluxione, quod fluit aut fluxurum eſt, revulſionem ſolam requirit; qùod fluxit, partim evacuationem, partim derivationem.

LXIV.

Cucurbitulæ quoq; & ſcarificatæ & ventoſæ in Singultu adhiberi poſſunt. Scarificatæ aut propriâ ratione adhibentur, vel gerunt vicem venæ ſectionis. Propriâ ratione adhibentur, quando ſanguinis vitium non eſt vehemens. Venæ ſectionis vicem obtinent, quando vires venæ ſectionem non admittunt. Ventoſæ verò quas probat Avincennas, inſenſibiliter evacuant materiam in ventriculo contentam.

LXV.

Locus, cui adplicantur cucurbitulæ, eſt abdomen, & adhibentur ſuper ſtomachum. Nonnulli ſcapulis & duodecimæ vertebræ applicant cucurbitulas, cum ventriculus alligatur dorſo vertebris; Capiv: cap. de Singultu.

LXVI.

Quando; poſt univerſalem corporis totius evacuationem.

LXVII.

Medicamenta huc ſpectantia triplicem habent differentiam. Alia reſpiciunt Singultum, quatenus eſt ſymptoma vehemens, & cauſæ rationem obtinet; proindè medicamentum Singultum ſedans poſtulat. Alia reſpiciunt calorem nativum, ejusq; diſſolutionem ac diſſipationem prohibent. Alia reſpiciunt ſingulas cauſas.

LXVIII.

Quantum ad ipſum Singultum, ſi ita vehemens ſit, ut cauſæ rationem obtineat, & curam neglectis quaſi cauſis ad ſe trahat, quæ ſenſum ventriculi nonnihil hebetant, dolorisq; acerbitatem obtundunt.

LXIX.

Incipiendum autem â lenioribus; Aëtius utitur ſucco Endiviæ ac portulacæ, διακώδειων nymphæa, lacte papaveris albi; vel detur ſyrupus roſar: viola: portul: nymph. de papav.

LXX.

Avicennas ad philonium Romanum aſcendit, huic palmam attribuit, non modò ut ſtupefaciendi, ſed & roborandi, reſolvendi & expellendi vi prædito medicamento; Probantur & Trochiſci de carabe, pilulæ de cynogloſſ: requies Nicolai. In horum tamen uſu obſervandum, ut doſis ℈j non excedat. Poſt horum tamen uſum, & adfectione ſublatâ, calefacientibus calorem ventriculi debilitatum iterum roborabimus.

LXXI.

Per medicamenta, caloris nativi diſſipationem ventriculi prohibentia non intelligimus cum Trall: apium, aſarum, daucum caſtoreum, ſed frigida ac aſtringentia, calorisq; nativi diſſipationem inhibentia, ut roſæ cichori andiv: acetoſ: portulac: & ſimilia.

LXXII.

Cauſas verò ſingulas quod attinet, conſiderandum, an Singultus ſit Symptomaticus, & alii morbo, qui peculiarem curationem requirit, conjungatur; An verò nulli alteri morbo conjungatur; Si nulli alteri morbo conjungatur, qui peculiarem curationem requirit, in cauſæ ablatione tota conſiſtit curatio.

LXXIII.

Si â refrigeratione tantùm Singultus proveniat, ſpiritum cohibere convenit. Spiritus enim retentus pulmones ac vicinas partes calefacit.

LXXIV.

Si verò adfectio ſit vehemens, & hiſce non cedat, intus & extrâ medicamenta ventriculum calefacientia uſurpanda, qualia ſunt aqu: menth: abſinth: beton: aniſ: rorisma: Cinamo: Syrup: abſinth: menth: beton: ſalv: diacido: cum aromat: Rob: junip: ſimpl: & compoſ: ut

Recip. conſerv: abſinth:
beton: ana ℥ i ſ.
roſ: ℥ ſ.
ſpeci: aromat: roſat:
diagal: ana ʒ i ſ.
dianiſi ℈ ij.
Cum ſyrup: de cortice citri
Fiat Electuarium.

LXXV.

Extra adhibenda unguenta, Emplaſtra, Cataplaſmata, cerota, fomenta, ventriculo frigido accommodata.

LXXVI.

Si â flatibus ſit Singultus, eadem calefacientia conducunt; ut vinum, in quo aniſum, baccæ lauri, Junip: roſmarinus, galang: carioph: macerata ſunt, vina clareta, & ſimilia.

LXXVII.

Si Singultus oriatur â potione vehementis alicujus medicamenti, quod vel acrimoniâ ſuâ, vel ob pravos ac corruptos humores, quos attrahit, hanc adfectionem excitat; quæ humectant ac refrigerant moderatè, humoresq; demulcent; ut aqua hordei, cum emulſione amygd: dulc: emulſio ſem: 4. frig: major: papav: juleb violar: ſuccus granat: cremor pthiſ: juſcul: pinguia, conſ: borrag: bugloſſ: nymph: Ventrem quoq; oleo violar: amygdal: dulc: inungere utile eſt.

LXXVIII.

Si â pravo ac corrupto cibo ac potu malum hoc oriatur, humor ille corruptus aut per vomitum, quando æger ad illum eſt

pro-

proclivis, aut per ſeceſſum evacuandus. Pilul: de hierâ ſimpl: de aloe, lota, de aloe & Maſtich: ſtomach: aſſai: Imperial: de Eupat: de Rhabarb.

LXXIX.

Si verò adfectio hæc ab intemperie calidâ, conjunctâ, cum humoribus fervidis ac acribus, eâ ratione curatur, quæ intemperies calida ventriculi cum materiâ, humores nimirùm, vel per vomitum, vel per alvum expelli debent, iis tamen prius aſſumtis, quæ humorum acrimoniam temperant; ut ſunt, ſuccus portulac: Endiv: ſyrup: viol: roſ: acetoſ: borrag: bugloſs. portulac: cum horum aquis ac decoctis.

LXXX.

Humoribus hoc modo temperatis, lenis inſtituatur purgatio, cum infuſo Rhabar: manna, ſyrup: roſar: vel viola: ſolut.

LXXXI.

Humoribus hoc modo præparatis, ac evacuatis, intemperies ventriculi ut tollatur, neceſſe eſt tum internis tum externis. Internis, ut conſerva: roſa: viola: cichor: ſyrup: roſa: viol: acetoſit: citri de agreſt: & ſimilibus.

LXXXII.

Externa ſunt unguenta, Emplaſtra, cataplaſmata & fomenta; Inunctiones parantur ex oleo roſa: viol: Nymph: citon: mucilag: ſem: pſyllii, ut

Recip. Olei roſ:
viol:
Citon: ana ℥ ſ.
Mucilag: ſem: pſyllij aq: roſ: extr: ʒ iij.
Cæræ parùm,
fiat
Unguentum.

LXXXIII.

Si humor frigidus ventriculo infarctus Singultus cauſa ſit, is calefaciendus, extenuandus & incidendus eſt oxymelite ſimplici ac

ci ac compoſito, ſcillitico; ſyrup: de duabus & quinq; radicibus, de hyſſop: de calament: debeton: cum eorum aquis & decoctis.

LXXXIV.

Humor hiſce medicamentis præparatus, vel per vomitum evacuandus, vel per alvum excludendus, pil: maſtich: de aloe, de agar:

LXXXV.

Si malum ſit pertinax, ac hiſce medicamentis tolli non poſſit, ad præparantia regrediendum, ac per vices præparantia ac evacuantia uſurpanda.

LXXXVI.

Internis medicamentis adjungendus eſt etiam externorum medicamentorum uſus; utilia ergo ſunt olea, ungventa, Emplaſtra, Cataplaſmata, ventriculum frigidum calefacientia ac roborantia, humores frigidos in eo contentos attenuantia ac incidentia; Varandæus hoc laudat:

Recip. rad: ariſtol: long:
ireos Florent:
— bacc: Lauri
fol: rutæ
Menth: ſicc: ana ℥ iij.
Caſtor:
Myrrh: ana ℥ ij.
Carioph:
Hypoc: ana ℥ i. incorporentur,

omnia cum melle anthoſ: in formam Cataplaſmatis, quod erit ventriculo admovendum.

LXXXVII.

Si materia Singultum excitans ſit occulta, ac malignâ aliquâ qualitate prædita; medicamenta occultâ proprietate agentia, ac malignitati reſiſtentia, adhibenda ſunt; Qualia ſunt Coralia, Margaritæ, cornu cervi, cortex citri, Lapis Bezoar, terra ſigillata, bolus armenus, ſyrup: citri.

LXXXVIII.

Si vermes aut mordicando, aut vapores putridos ſubpeditando, hanc adfectionem excitant, ad vermes curatio dirigenda.

LXXXIX.

Quando verò Singultus eſt Symptomaticus, & cum alio morbo conjunctus, & primò, quando in febribus humores calidi ac acres ad ventriculum ruunt, Singultumq; excitant, conſiderandum, an illud fiat in principio, an in augmento vel ſtatu.

XC.

Si in principio febris malum oriatur, judicandum malum hoc ab excrementis in primis viis contentis originem trahere, ac propterea leni Pharmaco, vel per vomitum, vel per alvum ejicienda eſſe.

XCI.

Si verò in ſtatu, quo tempore ſignum eſt futuræ criſis & per vomitum, tum nihil agendum, ſed negotium naturæ per mittendum, juxta aph: Hipp: 20. lib: 1. quæ judicantur & judicata ſunt integrè nec movere neq; aliud quicquem novare, vel medicamentis, vel aliis irritamentis, ſed ſinere oportet.

XCII.

Si verò in augmento hoc accidat, conſiderandum; an humores acres ac calidi à jecore & venoſo genere per venas meſaraicas in cavitatem ventriculi infundantur; an per venas, quibus ventriculus & orificium ejus alitur, effundantur in ipſam ventriculi ſubſtantiam; quod hoc modo diſcernitur: Si in ventriculi cavitatem hi humores influant, Singultus eſt rarior & levior, & aſſumto cibo vel potu, vel aliquo medicamento, Singultus ceſſat. Si verò in ventriculi ſubſtantiam influant humores, Singultus eſt frequentior, & gravior, nec ſedatur ingeſto cibo. Clariſs. & Excellentiſs: D. Sennertus in cap. de Singult.

XCIII.

Materia in ſpatium ac cavitatem ventriculi effuſa tollitur vel vomitu, vel leni purgatione.

XCIV.

Quando verò materia ventriculo infarcta eſt, difficilis eſt curatio. Ut autem curetur, ſi corpus vel anteà purgatum & à vitioſis humoribus liberatum ſit, aut ob febris vehementiam purgantia propinari non poſſint, ad ſtupefacientia & ſenſum obtundentia accedendum, de quibus ſuprà dictum.

XCV.

Si verò humor ſit malignus, ut in febribus malignis fieri ſolet, ad Alexipharmaca, ac veneno reſiſtentia accedendum, de quibus etiam ſuprà dictum, quæ tamen pro ratione febris temperanda.

XCVI.

Si verò corpus nondum purgatum, & calor febrilis purgationem non prohibeat, ante ſtatum purgationem inſtituere licet. Si verò purgationi nullus datur locus, clyſteres uſurpandi, & humorum acrimonia temperanda, emulſione ſem: 4. frig: major: papav: aqu. hord: Endiv: portulac: facta.

XCVII.

Singultus ab inflammatione ortus, tollitur, ſublatâ illius causâ, curationeq; ad inflammationem directa? Si verò Singultus ſit vehemens, & cauſæ rationem habeat, curationemq; ad ſe trahat, ad illa remedia, quæ ſenſum nonnihil obtundunt, ac Singultum mitigant, accedendum.

XCVIII.

Diœtam quod attinet, varia illa eſt, pro varietate cauſarum, quibus victus ratio contraria eſſe debet. Nam ſi cauſa ſit calida intemperies, ſive cum materiâ, ſive ſine materiâ; aër & victus ratio intemperiem calidam alterans, humoresque temperans, ordinanda; de reliquis idem eſto judicium.

XCIX.

Et hæc de Singultu, quantum quidem hâc brevitate, fieri potuit, dixiſſe ſufficiat; Facilius enim eſt pluribus multa, quàm paucis omnia complecti.

FINIS.